
CW Lang


O·J
INTER·FOLIA·FRVCTVS

COMMENTATIONIS
DE
SOPHOCLIS VITA
PARTICULA.

QUAM
AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ACADEMIA FRIDERICIANA
SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM
RITE OBTINENDORUM CAUSA
DIE V. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXXIII.
HORA X.

PUBLICE DEFENDET

CAROLUS GUILELMUS LANGE
HALANUS
SOCIETATIS HISTORICAE SENIOR.

HALAE
TYPIS EXPRESSUM GEBAUERIIS.

Sophoclis vitam cum Lessingius neque a Baylio in Lexico histor.-critico, neque ab aliis viris doctis singulariter descriptam esse animadverteret hac ratione, ut, quidquid antiquitatis monumentis hac de materia proditum, quidve constitutum esset recentioris memoriae scriptoribus, colligeretur subtiliterque examinaretur: ipse etiam tum iuvenis de Sophocle quaerere primus instituit. Etenim recte iudicasse videtur Lessingius de iis, qui antea hoc in genere posuissent operam; quos, Gyraldum [1]) si exceperis, Meursium [2]) et Fabricium [3]), omnes dicit plura prodidisse corrigenda, quam quibus uti liceret. Priusquam autem Sophoclis Vitam perfecisset Lessingius, ipse vita perfunctus est; quod iure doluerunt Eschenburgius, qui mortuo illo Vitae huius Sophocleae fragmenta edidit [4]), et libelli censor (Heerenius) in „Biblioth. d. alt. Litt. u. K." Vol. VIII. p. 122. sqq. Iam vero post annum MDCCLX., quo septem priores eiusdem vitae plagulae, etiamtum ipso curante Lessingio, typis sunt expressae, de singularibus Sophoclis vitae partibus, occasione data, subtiliter quaesivere viri doctissimi atque acutissimi Aug. Boeckhius, Godofr. Hermannus, Carol. Lachmannus, Car. Reisigius, Aug. Seidlerus, Guil. Süvernius, Carol. Wexius. Mitto alios; sunt enim multi. Ad quos accedunt, qui Sophoclis vitam paucis lineo-

1) Histor. poetarum tam Graecor. quam Latinor. dialogo septimo. — 2) Aeschyl., Soph., Euripid., s. de tragoediis eorum libri tres, p. 87. sqq., in Gronov. Thesaur. T. X. — 3) Bibl. Gr. l. II. c. 17. — 4) Primum edidit fragmenta singulari libello a. 1790. Berol. ap. Vossium et fil.; postea exprimi ea iussit in Lessingii operum collectione, edita ibid. a. 1793. Vol. XIV.

lis adumbrarunt magis, quam descripserunt; e quibus solos nomino Fr. Nevium, qui Sophoclis tragoedias nuper edidit, addita commentatiuncula de poetae vita et scriptis; Aug. Guil. Schlegelium [5], C. Guil. Ferd. Solgerum [6], et Fr. Guil. Carolum Sucronem [7]. Iam vero quae mei sit instituti ratio quodque consilium, vix est quod declarem. Atque ab initio quidem cum statuissem lacunas tantum explere Vitae Sophocleae, cuius auctor est Lessingius: mox intelligebam, eiusdem Vitae fragmenta non solum egere supplemento, verum etiam emendatione. Qua quidem in re quanquam mirum quantum profecerunt subtilissimae virorum peritissimorum, quorum supra mentionem feci, quaestiones, ut arduum sit proferre, quae et nova videantur, et vera: nihilominus propter ipsam rei difficultatem maxime placuit in describenda tragici vita ponere tirocinium, eruditorum sententiis, quam fieri posset, accuratissime perpensis, emendatisque, ubi a veri specie recedere viderentur, additis denique, quae, ab illis omissa, ad Sophoclis vitam illustrandam valerent. Verum in hoc equidem specimine pusillo quaestiuncularum illarum, quas quo minus integras ederem, temporis prohibebat iniquitas, quod propositum maxime erat, ut etiam peritorum exspectationi satisfacerem: id an consecutus sim, nescio, vel potius me non consecutum esse scio; hoc tamen spero, ab iis certe scriptiunculam hanc qualemcunque probatum iri, qui e voluntate soleant eiusmodi censere conatus.

(noviss. edit. Vol. X.) — 5) in „Vorless. üb. dramat. K. u. L." I. p. 168. sqq. — 6) in praefat. interpret. German. — 7) Introd. Sophocl. in „Matthias paedagog. u. lit. Mittheill." Fasc. V. sqq. Magdeb. 1828.

CAPUT I.

Decem fere stadia[1]) ab Athenis aberat mons, Timonis turri, Platonis sepulchro eique loco finitimus, cuius nomen Platonis ambulationibus est nobilitatum.[2]) Qui quidem mons, Thebanis Athenas proficiscentibus transeundus, commodum urbis adspectum praebebat.[3]) *Κολωνός* dicebatur *Ἵππιος*, ne cum alio permisceretur Colono, in urbe ipsa sito, quem *Ἀγοραῖον* Athenienses nuncupabant;[4]) ibique maxime colebantur Neptunus *Ἵππιος*, Minerva *Ἱππία* et Colonus *Ἵππιος*, antiquus heros; quorum numinum templa hoc ipso in monte prope Furiarum

---

1) Thucyd. l. VIII., c. 67. — Errat enim cum Meursio Lessingius Vit. Sophocl. p. 18. (B.), quod quattuor tantum stadiis distare Colonum ab urbe, ideoque δ΄. pro δέκα scribendum esse apud Thucydidem, ex l. V. Cic. de Finn. c. 1. colligit. Cfr. Corsin. Fastt. Att. Vol. I. p. 206. sqq. Reisig. Enarr. Oed. Col. ad vs. 15. pag. XXVIII. — 2) Cic. de Finn. l. V. c. 1. Pausan. l. I. c. 30. — 3) Sophocl. Oedip. Col. vs. 14. sqq. — Quod quidem Colonus finitimus fuisse dicitur Academiae, quam ab Dipylo sex tantum stadia abfuisse Cicero testatur: Colonum progredientibus ab Dipylo ad Academiam conspectum fuisse in alterutra viae parte colligendum est. Rectâ viâ qui ex urbe in Colonum migrabant, haud dubie per aliam portam, cui *Ἱππάδες πύλαι* nomen erat, egrediebantur; quam portam commemorat auctor Vit. Hyperid. in Plutarch. Opp. T. IX. p. 375. ed. Reisk. Cfr. Mülleri comment. in „Ersch's u. Grub. Encyclop." T. VI. p. 241. — 4) Pausan. l. c. Harpocrat. v. *Κολωνίτας*. Gramm. ap. Thiersch. Actt. Philoll. Monacenss. T. I. Fasc. III. p. 355. Poll. l. VII. c. 29. §. 132. Schol. ad Eurip. Phoeniss. vs. 1701. — 5) Sophocl. Oedip. Col. vss. 39. 53. sqq. et Schol. ad h. l. Argum. II. Oed.

lucum sita celeberrima erant antiquitus. [5]) Eodem in monte erat, ut alia mittamus, heroum in memoriam eiusdem Oedipodis conditum [6]), cuius suprema fata Sophocles fabula omnium, quas composuit, praestantissima illustravit. Namque Sophocles hunc priscum Thebanorum regem ab suis expulsum, a Theseo autem Atheniensium rege benigne exceptum illo in monte, quem adumbravimus, in ipso Furiarum luco tandem ad laborum omnium finem pervenisse finxit, gratum faciens non solum patriae suae, verum etiam pago, cuius ipse civis (δημότης) erat. [7]) Etenim ab illo Colono equite nomen traxisse dicuntur Coloniatae [8]), regionis incolae, qui pagum conficiebant *Κολωνὸν Ἵππιον*, primum quidem Antiochidi tribui, postea vero Aegeidi adscriptum [9]); huius autem ipsius pagi civem Sophoclem fuisse scriptorum antiquorum testimoniis luculenter comprobatur. [10]) Est enim iam pridem explosa falsissima Istri memoria, qui Sophoclem *οὐκ Ἀθηναῖον, ἀλλὰ Φλιάσιον* fuisse tradidit. [11])

Col. Thucyd. et Pausan. ll. cc. Apollod. Bibl. III, 5. Eurip. Phoenn. vs. 1701. — 6) Pausan. l. c. — 7) Argum. I. Oedip. Col. — 8) Sophocl. Oedip. Col. vs. 59. sqq. et Schol. ad h. l. — 9) Sic enim statuit Boeckhius Corp. Inscrr. nn. 115. 172. 183. — 10) Cic. l. c. Suid. v. *Σοφοκλῆς*. auct. Vit. Soph. Chron Par. l. 72. Argum. I. Oedip. Col. Schol. Aristid. p. 182. ed. Frommel. p. 485. ed. Dind. — De diversa scriptura *κολωνῆθεν*, *κολώνηθεν*, *κολώνοθεν* quae statuerat Osannus in Syllog. Inscrr. p. 95., Reisigius redarguit praef. Enarr. Oed. Col. p. XXXIX. sqq. — 11) ap. Vit. Soph. auct. Haec autem verba: *οὐκ Ἀθηναῖον*, *ἀ. Φλ.*, cum antea quidem, uti Lessingius fecerat, Istro tribuissem ipsi propter verbum *φάσκοντι*: Meiero V. Cl. placuit suam communicare mecum sententiam, quam hoc loco referre mihi liceat. Etenim fefellit fortasse Vitae scriptorem opinio, ut male intellectis Istri verbis de suo adderet verba: *οὐκ Ἀθην. ἀλλά.* Quod si factum est (fieri autem facile potuit in Vita, quam rectis-

CAPUT II.

Sophoclis patrem Suidas et Vitae auctor *ἀνώνυμος* Sophilum fuisse referunt; quibuscum consentire videtur auctor epigrammatis Anthol. Gr. T. I. p. 168. ed. Brunck. (Anthol. Palat. VII, 21.):

Τὸν σὲ χοροῖς μέλψαντα Σοφοκλέα παῖδα Σοφίλου, e. q. s.

ubi tamen metri causa restituendam esse scripturam *Σοφίλλου* rectissime monet Boeckhius Corp. Inscrr. Vol. II. Fascic. I. pag. 320. Etiam ab Clemente Alexandrino [12]), Tzetza [13]), et Marmoris Parii [14]) auctore *Σόφιλλος* [15]) vocatur. Priori scripturae favere videtur Diodorus Siculus l. XIII. c. 103., qui *Θεόφιλον* Sophoclis patrem nuncupat; quocirca corrigendum censet Meursius, reprobante Lessingio, qui *Σόφιλος* ac *Θεόφιλος* idem esse nomen arbitratur, ob dialecti tantum varietatem duplici modo pronuntiatum. Verum erravit Lessingius. Namque sicuti Spartani, quique dialecto Dorica utebantur, *Σιός* dicebant pro *Θεός*, et *Σίσυφος* pro *Θεόσοφος* [16]): exspectaveris potius *Σίφιλον* neque vero

---

sime Boeckhius dicit ex pannis esse consarcinatam) triplici ratione Istri sententiam illustrare poteris. Namque Ister aut scripsit *Φλυέα* vel *Φυλάσιον*, ut pagos tantum confunderet, (fortasse *ἐγκτήματα* fuerunt Sophocli ap. Phlyenses vel Phylasios) aut Sophoclem *τὸ ἀνέκαθεν* Phliasium, a Phliasiis civitate donatum fuisse significare voluit. Mihi quidem coniectura, quam secundo loco posui, quia illi maxime favere videntur Vitae scriptoris ipsius verba, ita arrisit, ut ei me addicerem sine ulla haesitatione. — 12) *Προτρεπτ.* p. 36. ed. Heins. p. 48. A. ed. Sylburg. — 13) Chiliad. VI. vs. 69. — 14) l. 72. — 15) Cfr. etiam Arcad. de accentib. ap. Bast. et Koen. ad Gregor. Corinth. p. 580. ed. Schaef. — 16) Biset. ad Aristoph. Lysistr. vss. 81. 1261. all. Maittair. de Gr. l. dialectt. p. 147. D. Ed. Imae. p. 198. ed. Sturz. Schaef. et Koen. ad Greg. Cor. p. 299. sqq.

Σόφιλον, eosdem nuncupasse eum, qui apud alias gentes *Θεόφιλος* audiret. At, quod iam Boeckhius [17]) significavit, verum nominis *Σοφίλου* s. *Σοφίλλου* primitivum est *σοφός*; ut sit deminutivum formatum ad analogiam vocabulorum *Χοιρίλος, μύρτιλλος*, aliorum, de quibus vid. Matth. Gr. Gr. I. p. 217. n. 3.

Iam vero quaerendum est de re satis ambigua ac subdifficili, cuinam civium ordini adscriptus fuerit Sophillus. Ac primum quidem Aristoxenus et Ister, quorum sententias notavit Vitae Sophocleae auctor, in eo consentiunt, quod hominem operarium fuisse Sophillum dicunt: namque Aristoxenus dubium relinquit, utrum ille faber fuerit tignarius an ferrarius; Ister opificem gladiorum eundem fuisse tradit. Vitae Sophocl. scriptor neutri fidem censet esse tribuendam; atque hanc quidem sententiam suam duplici ratione comprobari opinatur. *Οὐ γὰρ εἰκὸς*, inquit, *τὸν ἐκ τοῦ τοιούτου γενόμενον* (tam humili loco natum) *στρατηγίας ἀξιωθῆναι σὺν Περικλεῖ καὶ Θουκυδίδῃ, τοῖς πρώτοις τῆς πόλεως· ἀλλ' οὐδ' ἂν ὑπὸ τῶν κωμῳδῶν ἄδηκτος ἀφείθη, τῶν οὐδὲ Θεμιστοκλέους ἀποσχομένων.* Quocirca Sophillum non ipsum fabrum fuisse, sed servos tantum aluisse ad fabricam artem factitandam ille arbitratur. Haudquaquam tamen hac argumentatione res ad liquidum est perducta. Namque quod primo loco posuit argumentum, Vitae auctor ipse redarguit, quod Themistoclem commemorat a comicis perstrictum, quia ignobili loco natus imperium bellicum obtinuisset. Etenim Themistoclis matrem Thressam fuisse ferunt, [18]) ideoque *νόθος πρὸς μητρός* dicitur Plutarcho. [19]) Praeterea, ut aliorum mittamus memo-

17) l. c. — 18) Aelian. V. H. l. XII. c. 43. et Perizon. ad h. l. Tzschuck. et Harl. ad Cornel. Nep. Themistocl. c. 1. Athen. l. XIII. c. 5. — 19) Vit. Themistocl. c. 1. p. 111. sq. ed. Francof.

riam, Iphicrates, clarissimus Atheniensium dux, sutoris dicitur fuisse filius.[20]) Alterum quoque argumentum, quo Vitae scriptor utitur, petitum ex silentio comicorum, haudquaquam certa exhibere veri indicia manifestum est; quapropter etiam hoc missum facere nobis licebit. Quod vero Vitae scriptor Sophillum non ipsum fabricam artem factitasse, sed servos tantum illam factitantes aluisse coniicit, Lessingii[21]) quidem sententia male fecit. Omnes enim, qui servos aluerint opificium aliquod exercentes, non fuisse primi ordinis cives, sed medio alicui civium ordini adscriptos („Klasse von Mittelbürgern") Lessingius dicit, in errorem inductus verbis Pseudo-Plutarchi in Vit. Isocrat. init.: *Ἰσοκράτης Θεοδώρου μὲν ἦν παῖς — τῶν μετρίων πολιτῶν, θεράποντας αὐλοποιοὺς κεκτημένου — ὅθεν εἰς τοὺς αὐλοὺς κεκωμῴδηται ὑπὸ Ἀριστοφάνους καὶ Στράττιδος.* Veruntamen verbis *τῶν μετρ. πολ.* non significari medii cuiuspiam ordinis cives, facile perspicies legens ea, quae paullo post idem ait: *καὶ εὐπορήσαντος ἀπὸ τούτων, ὡς καὶ χορηγῆσαι, καὶ παιδεῦσαι τοὺς υἱούς;* unde colligas, Theodorum neutiquam tenui censu fuisse, sed adeo *τῶν πεντακοσιομεδίμνων.*[22]) Itaque *μέτριος* vocabulum non est ad ordinem aliquem civium referendum, sed ad cogitandi agendique rationem; quae singularis vocabuli vis declaratur a Boeckhio in Plat. Min. cet. p. 189. sq. et Stallbaumio ad Plat. Phileb. p. 90. §. 61.[23]) Isocrates igitur, non quod operario patre

---

20) Suid. v. *Ἰφικρ.* — 21) Vit. Soph. p. 26. (C.). — 22) Choregiam enim maximos postulasse sumtus constat inter omnes. Cfr. Boeckh. „Staatsh. d. Ath." I. p. 487. Wachsm. „Hell. Alterthsk." I. 2. p. 133. — 23) Cfr. Plat. de Republ. l. X. p. 592. E. Xenoph. Agesil. c. 11. §. 11. Sympos. 8, 3. de Republ. Lac. 14, 2. ed. Zeun. Plutarch. Apophth. Lac. XII, 6.

uteretur, sed propter opificii genus tum Atheniensibus contemptum [24]) a comicis perstrictus est, id quod manifesto significatur verbis *εἰς τοὺς αὐλοὺς κεκωμῴδηται*. Denique non meminerat Lessingius Demosthenem, oratoris clarissimi patrem, qui fabricam magnam habuit, et servos *μαχαιροποιούς*, a Plutarcho [25]) *τῶν καλῶν καὶ ἀγαθῶν ἀνδρῶν* ordini accenseri. — Quae cum ita sint, non dubitamus in eorum abire sententiam, qui cum Plinio [26]) Sophoclem, etamsi non principe, certe tamen haud ignobili loco esse natum existimant.

CAPUT III.

Iam quaerendum est, quo anno natus sit Sophocles; qua quidem de re multum disputarunt VV. DD., neque conspirant antiquorum scriptorum testimonia. Ac primum quidem si Marmoris Parii [27]) auctoritatem sequare, ubi haec leguntur: *ἀ]φ' οὗ Σοφοκλῆς ὁ Σοφίλλου ὁ ἐκ Κολωνοῦ ἐνίκησε τραγῳδίᾳ ἔτων ὢν ΔΔΓΙΙΙ, ἔτη ΗΗΓΙ, ἄρχοντος Ἀθήνησι Ἀψηφίονος;* natus erit Sophocles tertio Olympiadis LXX. anno, id quod Larcherus [28]) et Solgerus [29]) statuerunt sine vitii suspicione. Enimvero Marmoris auctor, si haec scripsit, et sibi repugnat et omnium testimoniorum memoriae. Namque lin. 78. haec habet: *ἀ[φ'] οὗ Σο-*

---

24) Cfr. Boettigeri comment. in Wielandi „Att. Mus." I. (p. 279. sqq.) pag. 358. XIX. Barthélemy Voy. d. j. Anachars. III. p. 242. sqq. Aristotel. de Republ. l. VIII. c. 6. §. 1. Plat. Alcib. I. p. 106. E. Gronov. ad Gell. Noctt. Att. XV. c. 17. Plutarch. Vit. Alcib. c. 2. p. 192. — 25) Vit. Demosth. c. 4. p. 847. ed. Francof. — 26) Hist. Nat. libr. XXXVII. c. 11. §. 1. ed. Harduin. — 27) lin. 72. ed. Boeckh. vid. Corp. Inscrr. Vol. II. Fasc. I. p. 302. — 28) Chronol. Herodot. p. 574. — 29) Praef. interpretat. Germ.

[φ]οκλῆς ὁ ποιητὴς βιώσας ἔτη ΔΔΔΔΔΙ ἐτελεύτησεν, καὶ Κῦρος ἀνέβ [η ἔτη ΗΔΔΔΔΙΙ ἄρχ]οντος Ἀθήνησι Καλλίου τοῦ Πρ[ο]τ[έρ]ου [30]). Huic rationi si fides est habenda, Sophocles natus est Ol. LXX. a. 4., quem quidem computum omnino congruere cum reliquis testimoniis postea videbimus. Ex quo iam apparet corruptelam inesse priori notationi, qua Sophocles octo et viginti annos natus Ol. LXXVII. a. 3. archonte Apsephione tragoedia vicisse perhibetur. Iccirco sine ulla haesitatione putamus aut scriptum aut certe scribendum fuisse Marmoris auctori sic: — *ἐνίκ. τραγ. ἔτων ὢν ΔΔΠΙΙΙ, ἔτη ΗΗΗΠ*, e. q. s., ut annus sit Ol. LXXVII. quartus. Hisce Marmoris testimoniis congruunt, quae Vitae Sophocleae scriptor habet: *ἦν δὲ (Σοφοκλῆς) Αἰσχύλου μὲν νεώτερος ἔτη δέκα ἑπτὰ, Εὐριπίδου δὲ παλαιότερος εἴκοσι τέσσαρα*; congruunt, inquam, ubi cum Lessingio [31]) numeros ita commutas, ut Aeschylo Sophocles minor viginti quattuor annis, Euripide maior septendecim annis dicatur; qua quidem medicina eget etiam Scholiastes ad Aristoph. Rann. vs. 75. Sic igitur emendatis annorum numeris ubi calculum subduxeris, Sophoclem efficies natum quarto fere anno Ol. LXX. [32])

---

30) Recte Palmerius Lydiatus et Boeckhius scribendum censent *δευτέρου*. Prioris enim Calliae mentio iam facta ab Marmoris auctore lin. 75. — 31) Vit. Soph. p. 32. (D.) — 32) Omnium enim testimoniorum memoria Aeschylus natus perhibetur Ol. LXIII. aut LXIV. anno quarto (cfr. Aeschyl. Vit. Boeckh. de Gr. tr. princip. p. 47. sqq. Herm. Opuscc. T. II. p. 159. sqq. E. R. Langii comment. de Aeschylo, in progr. Gymnas. Frideric. Berol. 1832. p. 4.); Euripidem autem natum esse Marmor Par. testatur Ol. LXXIII. a. 4. (lin. 65. cll. lin. 75.), plerique verius Ol. LXXV. a. 1. (Diog. Laert. l. II, 45. Plutarch. Sympos. VIII, 1. p. 717. C. Suid. v. *Εὐριπίδης*. Vit. Eurip. ab Elmslei. post Bacchas edit. p. 172. Lips.)

Falsissimam autem ne Suidae memoriam omittamus, Sophoclem Ol. LXXIII. natum esse referentis, anni mentione facta nulla: admodum nobis placet, quod Wexius [33]) Suidam coniicit in errorem fuisse inductum aut male intellecta aut depravata Olympiadis LXX. anni tertii notatione, qui annus designatus fuisset apud eum, ex quo hauserit Suidas.

Revertor ad Marmoris Parii testimonia supra commemorata, quibuscum plane congruunt verba Diodori [34]): *Περὶ δὲ τὸν αὐτὸν χρόνον* (Callia archonte, Ol. XCIII. a. 3.) *ἐτελεύτησε Σοφοκλῆς — — ἔτη βιώσας ἐννενήκοντα* —. Consentiunt igitur Diodorus, qui Apollodori, ni fallimur, sententiam exhibet, et Marmoris auctor non solum de anno, quo mortuus sit Sophocles, ac de archontis nomine, verum etiam de anno, quo natus sit poeta. Namque cum dubitatione vacuum sit, Sophoclem fuisse mortuum, antequam Aristophanis Ranae sit acta, [35]) h. e. ante Gamelionem [36]) mensem eiusdem anni, quem supra significavimus: annis nonaginta retro computatis Sophoclem efficimus natum fere intra Gamelionem anni quarti Ol. LXX. et sequentis anni. Iam vero apparet, nihil opus esse emendatione, ut cum aliorum testimoniis Diodori verba concinant, id quod Boeckhio [37]) visum est.

Reliquum est, ut mentionem faciamus eius opinionis, quam Vitae Sophocl. scriptor expressit

---

33) l. c. — 34) l. XIII. c. 103. — 35) vid. Aristoph. Rann. vs. 67. sqq. all. Argum. III. Oedip. Cod. ed. Elmsl. in Actt. Monacenss. I, 3. p. 324. — 36) Etenim quod Boeckhius statuerat cap. XVI. de Gr. tr. pr. p. 204. sqq., Lenaeorum festum Anthesterione mense celebratum esse, idem reprobavit commentatione de Dionysiis, (Actt. Acad. Berol. 1817.) qua Lenaea in Gamelionem incidisse comprobavit. — 37) Comment. de Sophocl. Antig. (Actt. Acad. Berol. 1824.) p. 58.

hisce verbis: γεννηθῆναι δὲ αὐτόν φασιν ἑβδομηκοστῇ πρώτῃ Ὀλυμπιάδι κατὰ τὸ δεύτερον ἔτος ἐπὶ ἄρχοντος Ἀθήνησι Φιλίππου. Quam in sententiam plane destitutam aliorum auctoritate scriptorum abiere Fabricius [38]), Lessingius [39]), Boeckhius [40]), et qui praemature nuper diem obiit supremum, Passovius [41]); reliquorum praetermittere nomina liceat. Neque illo argumento, de epiniciis petito, quae Sophocles post pugnam Salaminiam Ol. LXXV. a. 1. auspicatus esse dicitur, Vitae scriptoris sententiam Boeckhius confirmavit ita, ut Marmoris ac Diodori testimonia, quibus nos quidem fidem habemus, redargueret. Quid? quod eandem Athenaei et Vitae scriptoris narratiunculam prorsus favere videbimus [42]) nostrae sententiae. Quia vero Sophoclem VV. DD. [43]) anno Olympiadis XCIII. secundo mortuum esse statuerunt (qua de re, tempore nunc exclusi, alias disputabimus): Boeckhius iam unice pendet ex Vitae Sophocleae loco illo, ubi archontis nomen commemoratur. Huius autem archontis a nemine nisi Vitae scriptore mentio est facta; nec proditum est ab antiquis eius archontis nomen, qui Olymp. LXX. a. 4. eponymus fuerit: quocirca Vitae scriptorem errasse colligimus in annorum numeris legendis aut computandis aut scribendis; quod vitium saepius ab eo commissum esse iam vidimus et postea videbimus. — Denique ut levissima testimonia omittamus et Luciani [44]), qui

---

38) Bibl. Gr. T. II. c. 17. p. 619. — 39) Sophocl. Vit. p. 30. (D.) — 40) de Gr. tr. pr. p. 102. de Antigona p. 58. Corp. Inscrr. Vol. II. Fasc. I. p. 320. — 41) in Iahn. Annall. Philoll. II. p. 154. — 42) vid. Cap. IV. — 43) Boeckh. ad Corp. Inscrr. Vol. II. Fasc. I. p. 342. de Dionysiis cap. 20. annot. 120. Ritschl. de Agathone cap. 6. — 44) Μακροβίων c. 24.

nonaginta quinque, et Valerii Maximi [45]), qui adeo prope centum annos natum Sophoclem obiisse tradit; quia haec omnia refelli certioribus testimoniis supra commemoratis persuasum nobis est: pro certo iam liceat ponere quem designavimus annum natalem Olympiadis LXX. quartum.

CAPUT IV.

Etiamsi nullo scriptorum veterum testimonio confirmata esset eorum sententia, qui puerum existimant liberaliter institutum quibuscunque artibus ingenuum nobilique natum loco tum deceret: nihilominus ipsae Sophoclis tragoediae haud ambigua eruditionis perquam liberalis ac fructuosae nobis offerrent indicia. Verum diserte contestantur Ister et Vitae scriptor, musicis ac gymnicis certaminibus victorem esse Sophoclem renuntiatum. Quid? quod adeo reipublicae administratione probatum et legationibus tradunt; [46]) quibus tamen si quis fidem habendam esse negarit, nihil impedio. Musicae autem ac gymnicae artis magistro clarissimo puer usus est Lampro [47]). Cuius viri fama tanta fuit, ut cum laudatissimis musicis antiquitus compararetur. [48]) Hoc praeceptore dignum sese praebuit iuvenis eodem die, quo splendidissima Themistocles victoria de Persarum classe reportata cum reliquorum Graecorum, tum praecipue Atheniensium gloriam libertatemque constituit; eodem, inquam, die, quo Eu-

45) l. VIII. c. 7. §. 12. — 46) Auct. Vit. Sophocl.: *καὶ ἐν πολιτείᾳ καὶ ἐν πρεσβείαις ἐξητάζετο.* — 47) Vit. Sophocl. Athen. l. I. p. 20. F. — 48) Cornel. Nep. Epam. c. 2. Plutarch. de Mus. p. 685. Plat. Menex. p. 236. A., cui repugnat Athen. l. XI. extr. l. II, 6. p. 54. cfr. Lessing. Vit.

ripidem Salamine natum esse plerique putant, [49]) Aeschylus autem eandem prope insulam cum Persis fortiter pugnarat. [50]). Namque Sophoclem ferunt, eximiae pulchritudinis causa tum electum, cum lyra, nudum et unctum, aut, ut nonnulli tradiderunt, palliatum tripudiasse circum tropaea, epiniciaque auspicatum esse. [51]) Sedecim annos natus illo tempore erat, ut Wexius [52]) fallatur, cui mirum quantum scrupulum iniecerunt verba Plutarchi [53]): *οἱ πλεῖστοι τῶν Ἀθηναίων ὑπεξέθεντο γονέας καὶ γυναῖκας εἰς Τροιζῆνα* e. q. s., unde colligit Wexius, Sophoclem *τῶν ἐν ἡλικίᾳ* fuisse, quos omnes in triremes conscendisse Plutarchus tradit. Verum enimvero Vitae scriptor et Athenaeus nec Plutarchi ipsius verbis repugnant, nec gravissimo testimonio, in quo Lessingius [54]) acquievit, Herodoti [55]): *ἐνθαῦτα οἱ μὲν πλεῖστοι ἐς Τροιζῆνα ἀπέστειλαν, οἱ δὲ ἐς Αἴγιναν, οἱ δὲ ἐς Σαλαμῖνα* —, quocum de Salamine prorsus consentiunt Diodorus [56]) et Cornelius Nepos [57]), quorum alter tantummodo Salamina, alter partim Salamina, partim Troezena asportatos fuisse liberos Atheniensium dicit. Quid? quod eodem die Salamine natum esse dicunt Euripidem, quod iam supra commemoravimus. Neque vero etiamsi prorsus nihil valeret horum scriptorum auctoritas, Sophoclem tum fuisse militem probari potest. Namque primum licet in illo reipublicae sum-

---

Soph. p. 35 — 47. (E.) — 49) Plutarch. Symp. VIII, 1. Eurip. Vit. ap. Elmsl. in calce Bacchar. et Thom. Mag. ap. Musgr. — 50) Vit. Aeschyl. Pausan. l. I. c. 14. §. 4. cfr. E. R. Langii comment. de Aeschylo. p. 5. — 51) Sophocl. Vit. Athen. l. I. p. 20. F. — 52) Prolegg. ad Antig. p. 28. — 53) Vit. Themistocl. c. 10. p. 116. — 54) Vit. Soph. p. 49. extr. (F.) — 55) l. VIII. c. 41. — 56) l. IX. c. 13. — 57) Vit. Themistocl. c. 2. extr.

mo discrimine τοὺς περιπόλους quoque ponamus interfuisse pugnae, quos quidem in bellorum extra fines Atticae gestorum pericula vocare Athenienses non solebant, haudquaquam tamen Sophocles Ol. LXXV. a. 1. mense Boedromione, in quem pugna Salaminia incidit, [58]) octodecim annos, ut Wexio videtur, sed sedecim, vel, ut aliquid ei largiamur, septendecim natus, igitur nondum ephebus erat. [59]) Iam vero apparet luculenter, quam male se habeat Wexii sententia. Accedit, quod Athenaeus [60]) Sophoclem tum eam aetatem egisse significat, qua pulchritudo iuvenum maxime splendere soleat; florentissimam autem usque ab Homero [61]) omnes Graeci dicunt τὴν ἥβην, eandem aetatem,

„Quae signat dubia teneras lanugine malas."

Cui rationi congruit prorsus, quod Plato [62]), haud dubie Atheniensium respiciens morem, per triennium praecipue musicam doceri iubet pueros inde ab decimo tertio aetatis anno. —

Non ita multo post magnam tragicae arti Sophocles operam dedisse videtur. Etiamsi vero consentaneum est adolescentem Aeschyli exemplo gloriaque incitatum esse, ideoque satis magnam eruditionis suae partem illius tragoediis debuisse: perperam tamen Vitae scriptor Aeschylo dicit

---

58) Herodot. l. VIII. c. 65. Polyaen. III, 11. Plutarch. Vit. Camill. c. 19., cuius mirere inconstantiam, c. VII. de Glor. Athen. p. 349. et Lysandr. Vit. c. XV. decimo sexto die Munychionis ad Salamina pugnatum esse narrantis. — 59) vid. Boeckh. Ind. Lectt. Berol. aest. 1819. et in Seebod. „N. Arch. f. Phil. u. Paedag." 1828. Fasc. III. p. 50. sq. C. F. Hermann. in „Lehrb. d. gr. Staatsalterth." §. 123. (p. 230.) — 60) l. l. p. 20. F. — 61) Cfr. Il. XXIV, 348. Od. X, 279. al. — 62) de Legg. VII. p. 809. sq.

cit magistro tragicae artis usum esse Sophoclem. Repugnat enim, quod apud Athenaeum [63]) de Aeschylo iudicat Sophocles: ὅτι εἰ καὶ τὰ δέοντα ποιεῖ, ἀλλ' οὐκ εἰδώς γε, quam sententiam ipse confirmavit Aeschylus [64]), artem tragicam se non didicisse, sed tragoedias fingendi facultatem miro quodam modo divinitus accepisse professus. Denique Lessingius, cui his in rebus fidem habere par est, planissime redarguit Vitae scriptoris sententiam, quod tragicam artem, paucis regulis exceptis, quae tragoediarum bene compositarum cognitione mnlto facilius ac melius quam praeceptore adhibito comprehendi possint, doceri non posse demonstravit. Neque cum Sophocles adolesceret, tragoediarum eius generis multa exempla iam in promptu erant, unde tragicae artis regulae colligi et in certum quendam ordinem redigi potuissent.

CAPUT V.

Primum autem certamen tragicum, quo fabulas docuit Sophocles, tam insigne multis est nominibus, tamque honorificum ipsi Sophocli, ut pluribus disserendum de eo nobis videatur. Quod quidem certamen Plutarchus [65]) dicit eodem tempore commissum esse, quo Cimon, Scyro insula expugnata, Thesei ossa reportaverit Athenas, archonte Aphepsione, de cuius nomine et anno postea dicemus. Praeterea Plutarchus refert hac ipsa fabularum commissione neglectas fuisse leges, quas hoc in certami-

63) l. I. p. 20. l. X. p. 428. E. F. — 64) ap. Pausan. l. I. c. 21. — 65) Vit. Cimon. c. 8. p. 483.

num genere Athenienses observassent. Namque archontem, in partes discedere spectatores videntem, sorteque adsignatos ex ipso populo, ut antea mos fuisset, arbitros constituere non ausum, ad Cimonem ceterosque novem duces, singulos e singulis tribubus electos, iudicium detulisse. Qua ratione Sophoclem victorem esse renuntiatum; Aeschylum autem, qui cum illo certasset, indignatum paullo post in Siciliam se contulisse. —

Illud autem brabeutas constituendi genus acceptum fuisse Atheniensibus, et in omnibus postea tragicorum certaminibus observatum, ut ab illo munere excluderentur omnes, qui stipendia nulla unquam fecissent, neque verbis comprobatur Plutarchi: *ἔθεντο δ᾽ εἰς μνήμην αὐτοῦ* e. q. s., neque Aristophanis [66]) versibus aliquot, quibus illa consuetudo perstringi videtur Lessingio. —

Iam inter omnes, quod equidem sciam, constat, Ol. septuagesima septima Sophoclem illud in certamen, quo primum fabulas docuerit, descendisse; de anno autem, quo hoc factum sit, mirabiliter dissentiunt, qui hac de re quippiam statuerunt. Namque Hieronymus [67]) eius, quam designavimus Olympiadis anno primo, Eusebius [68]) secundo, Marmoris Parii auctor [69]) et Petitus [70]) tertio certamen illud tragicorum adsignarunt; quorum sententiam refutare instituerunt Palmerius [71]), Bentleius [72]), Lessingius [73]), Dodwellus [74]), Boeckhius [75]), We-

66) Rann. vs. 1109. sqq. — 67) versione Chron. Euseb. ad Ol. LXXVII. a. 1. — 68) Can. Chron. ad h. a. — 69) lin. 72. — 70) Miscell. l. III. c. 18. p. 172. sq. — 71) Exercitt. p. 452. — 72) Dissertt. Phalar. p. 281. sqq. Opuscc. p. 308. — 73) Soph. Vit. p. 67. sqq. (I.) et Laoc. extr. — 74) Annall. Thucydd. p. 625. — 75) de Gr. tr. principp. p. 101. sqq. Ca-

xius [76]), qui anno quarto Sophoclem primum tetralogia vicisse comprobarunt.

Ut autem, quibus maxime rationibus innitatur eorum sententia, cognoscatur, ad Marmoris Parii locum revertimur, quem cap. III. emendavimus. Apsephionem enim, cui in Marmore tertius Olymp. LXXVII. annus designatur, Apollodorus [77]) archontem fuisse refert eiusdem Olympiadis anno quarto. Idem ex Plutarchi loco supra commemorato colligit Lessingius, qui quae Ol. LXXVII. a. 3. a Cimone gesta narret Diodorus [78]), non potuisse perfici ante eiusdem anni finem, ideoque quarto demum anno tropaea constituisse Cimonem et Athenas rediisse demonstrat. Plane cum his convenit C. Guil. Krügero [79]), qui accuratissime descriptis temporibus Dodwelli [80]) et Clintonis [81]) sententias redarguit. Non igitur esset, cur Apollodori rationem, peritissimi temporum auctoris, in dubitationem vocaremus, nisi Plutarchus sibi repugnare videretur, quod in Thesei Vit. c. 36. haec habet: *Μετὰ δὲ τὰ Μηδικὰ, Φαίδωνος ἄρχοντος, μαντευομένοις τοῖς Ἀθηναίοις ἀνεῖλεν ἡ Πυθία τὰ Θησέως ἀναλαβεῖν ὀστᾶ* c. q. s. [82]) — Cum vero constet Phaedonem archon-

---

none Chron. et Commentar. ad Marm. Par. vid. Corp. Inscrr. Vol. II. Fasc. I. pp. 320. sq. 340. — 76) Prolegg. ad Antig. Sophocl. p. 28. sqq. — 77) ap. Diog. Laert. l. II, 44 cfr. l. IX, 41. — 78) l. XI. c. 60—63. — 79) „Ueb. d. Cimon. Frieden, in Seebod. Arch. f. Phil. u. Paedag." 1824. T. I. P. 2. p. 205—237. (v. p. 228. sqq.) et in Clinton. Fastt. Hell. ad a. 469. — 80) Annall. Thucydd. p. 625. sqq. — 81) l. c. — 82) Perperam haec Plutarchi verba interpretatur Wexius Prolegg. ad Antig. p. 29. Cuius quidem verba haec: „Bene autem demonstravit Lessingius, commissionem istam et Aphepsionis praeturam in annum Ol. 77. non te-

tem fuisse Ol. LXXVI. a. I.[83]). quod oraculum iusserit sero factum esse Ol. LXXVII. a. 4. apparet. Etenim Athenienses gravi tum pestilentia conflictatos oraculum petiisse, illamque sedandi causa iussos esse Thesei ossa reportare in urbem suam, ex Aenea Gazaeo Lessingius[84]) adnotavit. Consequens est, nimis longum temporis spatium inter oraculum Atheniensibus datum et Scyri expugnationem a Clintone[85]) interpositum esse. — Verum Diodorus[86]) Ol. LXXVII. anno quarto, quem annum Apsephioni adsignavimus, *Phaeonem* refert archontem fuisse. Quare unum eundemque annum Phaedoni atque Apsephioni tribuerunt Palmerius[87]) et Lessingius[88]), qui alterum illorum archontum alteri ante finem anni mortuo substitutum esse putant.[89]) Cui con-

---

tium sed quartum reiiciendam esse, tum quia Cimon post ea demum, quae Ol. 77. anno tertio gesta esse referat Diodorus, Athenas redux factus tropaea *ibi* (?) constituere et commissioni illi interesse potuerit, tum quia Plutarchus Thesei Vita c. 36. Thesei ossa, *ad quorum*, ex insula Scyro per Cimonem Athenas advectorum, *sepulturam celebrandam illa commissio instituta erat (?) archonte Phaedone a Cimone inventa tradit. (?)* Hic autem archon *a Dionysio Halicarn. (?)*" e. q. s. — quibus cuipiam probentur nominibus, ipse videat Wexius. — 83) Dionys. Halic. Antiquitt. Roman. l. IX, 5. p. 1791. Diod. Sic. l. XI. c. 48. — 84) Vit. Soph. p. 81. cfr. annot. — 85) Fastt. Hell. ad a. 476. p. 34. Krüg. — 86) l. XI. c. 63.: ἐπ' ἄρχοντος Ἀθήνησι Φαίωνος. Dind. correx. Φαίδωνος. Boeckh. Ἀψεφίωνος. — 87) l. c. — 88) p. 83. sq. — 89) Mirum in modum Wexius, cum totum hunc locum, tum Lessingii sententiam vexavit. Etenim si Palmerii et Lessingii coniecturam probas, haec ipsa certe accommodanda est Plutarcho, „qui Phaedonem dicit archontem fuisse, cum oraculum illud ederetur, Apsephionem autem, cum Cimon Athenas rediisset.

iecturae si fidem neges esse habendam, equidem non video, quid sit reliquum, nisi ut Phaedonis nomen apud Plutarchum corrigas. Etenim Marmoris auctoritate nititur scriptura *ΑΨΗΦΙΩΝ*, unde Plutarchus habet *Ἀφεψίων*, ubi cum evanuissent duae litterae, Diogeni Laertio impositum est *Ἀψίων*; similiter in Diodorum irrepsit *Φαίων*, ex quo rursum eruditus aliquis liberarius, qui Phaedonem sciebat illo fere tempore fuisse archontem, apud Plutarchum Thesei Vit. correxit *Φαίδων.*[90]) —

Utcunque autem illud est: *Διονύσια τὰ ἐν ἄστει* fuerint necesse est, quo tempore primum in certamen conatus est descendere Sophocles; *ὁ ἄρχων* enim certamini praefuit Plutarcho testante.[91]) Quibus tragoediis [92]) tum vicerit Sophocles, non est proditum ab antiquis; his autem tragoediis subiuncta fuisse videtur Triptolemus, satyrica fabula.[93])

---

90) Scripturae varietas obtinet apud oratores quoque (vid. Boeckh. ad Corp. Inscrr. Vol. II. Fasc. I. p. 340.); dubium est, utrum in genitivo ω an ο, in secunda vero syllaba ε an η scribas; certum, ψ primo, φ secundo loco ponendum esse. — 91) Cimon. Vit. l. c. Cfr. Poll. VIII. 89. 59. Schol. ad Aristoph. Acharn. vs. 1024. Boeckh. in „Staatsh. d. Ath." I. p. 480. — 92) Tetralogiâ enim primum certasse Sophoclem, Boeckhius docuit de Gr. tr. pr. p. 104. — 93) Brunck. ad fragmm. Cfr. Iacobs. in „Nachtr. z. Sulz. Theor." T. IV. P. I. p. 146. Boeckh. l. c. quos refutare instituit Welckerus in „Aeschyl. Tril." p. 514. et „Nachtr. z. A. Tril." p. 292., qui Lessingium in eadem, qua Brunckius, sententia fuisse opinatur. Verum falsus est Welckerus: Lessingius enim tragoediam esse Triptolemum putavit. (vid. Laoc. extr. Sophocl. Vit. p. 98. sqq.) Ceterum videat Welckerus, quomodo, cum reliqua fabulae fragmenta, tum hunc versum (Fragm. IV. Brunck. 531. Dind.) a satyricis vindicet:

Οὐδ' ἡ τάλαινα δοῦσα ταριχηροῦ γάρου.

Lessingius enim hanc fabulam Plinio [94]) teste actam esse monuit annis CXLV ante Alexandri Magni mortem (Ol. CXIV. a. 1.[95])): qua ratione Triptolemum efficimus actam anno Ol. LXXVII. quarto, quo primum fabulas docuit Sophocles.

---

94) Hist. Nat. l. XVIII. c. 12. — 95) Ideler. in Actt. Acad. Berol. 1821. p. 277. Chronol. I. p. 407.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. Sophoclis verba, Oedip. Reg. vs. 227., sic redintegro:

Καὶ μὴ φοβεῖσθαι, τοὐπίκλ. ὑπ. e. q. s.

II. Quas Martialis xen. CXXIV. commemorat coronas roseas, e cera picta fuisse fictas perperam opinatur Böttigerus in „Sabina" P. I. p. 253.

III. Falluntur, qui quae de navigatione a Phoenicibus suscepta narret Herodotus l. IV. c. 42., vera esse colligunt ex iis, quae de solis statu ibidem referantur.

IV. Sophoclis versum, Oedip. Col. 42., emendandum arbitror sic:

Τίνων; τὸ Σεμνῶν ὄνομ᾽ ἂν εὐξαίμην κλύων.

V. Tibulli versum, l. I. eleg. III. 63., corrigas ita:

Hic iuvenum series teneris *immissa* puellis.

VI. Errant, qui cum Boeckhio (ad Corp. Inscrr. Vol. II. Fasc. I. p. 342. de Dionysiis c. XX. not. 120. cfr. Ritschl. de Agath. cap. VI.) Sophoclem Olymp. XCIII. anno secundo mortuum esse putant.

VII. Immerito Quinctilianus Instt. Orr. l. V. c. 10. p. 405. ed. Burm., Valckenarius ad Eurip. Phoenn. p. 12., Klotzius Lectt. Venuss. p. 178. sqq., et Elmsleius ad Eurip. Bacch. vs. 508. tragicos vituperant Graecos, qui ad nominum propriorum etymon alluserint.

VIII. Pueros, qui in gymnasiis versentur, in versibus faciendis exercendos esse censeo.
